

Nota ejusdem in margine :

„Hoc exemplum est sumptum siue transcriptum ex quodam montaneo antiquissimo, in quo sunt quam plura Privilegia Papalia et Regalia antiquitus scripta, aliaque iura ecclesie et Archiepiscopatus Spalatensis, per me Lucanum Primicerium Spalatensem auctoritate Imperiali Notarium et nunc Juratum notarium R^{mi} in Christo Patris et DD. Dominici Dei et apostolice Sedis gratia Archiepiscopi Spalatensis, de mandato et auctoritate ipsius D. Archiepiscopi, lectumque et insinuatum fuit de uerbo ad uerbum in presentia ipsius D. Archiepiscopi per me Notarium supradictum et auscultatum diligenter per infrascriptos Notarios in presentia testium subscriptorum, cum ipso principali scripto, et cum dictus D. Archiepiscopus cognovit cum ipso principali concordare, ut adhibeatur in posterum huic exemplo plena fides, suam auctoritatem interposuit et decretum, cuius quidem series montanei per omnia talis est.“

Sequuntur notae Bonacursi, Benedicti, Stephani et Lucani, uti in precedenti privilegio Terpimiri Ducis.

Ex libro MSC. : „Donationes Ecclesiae Spalatensis“ in Archivio Episcopatus Spalatensis asservato p. 6. Habent quoque Lucius de Regno Dalm. & Croat. Francof. 1666. p. 65. Vind. p. 64. & Farlati Illyr. Sacrum T. III. p. 82.

III.

Anno 914. Spalati.

Decreta Croatorum et Serborum in concilio eorum Spalatensi, praesidente Tamislavo, Rege Croatorum et Dalmatiarum sancita, agente potissimum Legato romano cum praesulibus latino-dalmaticis.

Tempore Joannis Papae Sanctissimi, consulatum peragente in Provincia Chroatorum & Dalmatiarum finibus Tamislao Rege et Michaelae in suis finibus praesidente Duce, Reverendissimo igitur Joanne Romanae Ecclesie praesidente Cathedra, dictus Chroatorum Rex & Michael cum suis Proceribus, simulque Episcopis Dalmatiarum; item Joannes Archiepiscopus p. Spalato, Forminus, Gregorius caeterique Episcopi, consulenter proposuerunt D. Venerabilem Papam, ut ad eos destinare dignaretur Episcopos suos et Monitorium Christianae Religionis dogma continentem. Quorum postulationibus saepefatus Pontifex assensum prebens, venerabilem Joannem Episcopum Anconitanae Ecclesiae, Leonem vero Pelestrinensem Episcopum cum suis Epistolis melliflue ructantibus eloquia destinavit; ut cum praefatas personas (praefatis personis) iudicibus et Episcoporum (is) synodaliter congregati (s) et perpera estirpare & Deo placita canonice sancire deberent.